



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Legatis, De Successionibus Ab Intestato, De Renvnciationibus

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. XVIII. Mutinen. legati. De eadem materia, an legatum factum filiis alicujus, debeatur solùm, natis de tempore testamenti, seu mortis testatoris, vel etiam aliis, qui postea nati sint; Et an ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74076](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74076)

Hinc propterea intrat conclusio, ut hæc dos patris intuitu filii relicta, profectitia censenda sit, perinde, ac si verè ex paterna substantia proveniret ad reer. in l. profectitia ff. de jur. dot. §. i. insir. per quas person. nobis acquir. Gabr. de jur. dot. conclus. 5. Mangi. de impur. quasi. 19. num. 16. & quest. 20. num. 5. Bottiglior. de success. ab intest. theor. 21. nu. 2. Rot. decis. 46. num. 7. par. 6. recent. Romana cens. sui 15. Junij 1654. coram Bichio inter suas dec. 610. num. 37. & sapius; Et de hujusmodi legatis relictis pro dotandis filiabus, ut censentur contemplatione patris, atque ad eum sublevandum Orsib. decis. 15. num. 5. & seqq. & per rot. & habetur in sua materia sub tit. de dote praesertim discurs. generali 157. ubi agitur de natura, seu qualitate dotis, & quando sit profectitia, vel adventitia.

Hinc proinde, probabilem, beneque fundatam esse dicebam specialem doctrinam Ruini conf. 30. num. 1. ad 12. lib. 2., ubi in terminis hoc firmatur, ut scilicet legatum relictum filiabus alicujus, conveniat tam natis, quam nascituris, eo quia inter utrasque, & alias nulla dignoscatur differentiae ratio, quoties non urgeat ratio personalis affectionis erga jam natas; Et conferunt deducta apud Surd. conf. 72. cum alijs per Casill. de usufr. cap. 2. num. 62. & seqq., an conveniat legatum omnibus filijs etiam ex secunda uxore.

Cum etenim legati motivum sit affectio testatoris erga patrem, ad eum sublevandum, atque ad consulendum hujusmodi fecundarum honestati, hinc nulla subest ratio, cur unam, & non aliam disponens providere voluerit.

Et quamvis Scribentis in contrarium deducere regulam, in qua Index nimium se fundare videbatur, quod in legatis utpotè continentibus onus, admittenda non sit extensio de persona ad personam, vel de casu ad casum, quoniam onera non sunt multiplicanda, & de qua regula habetur sub tit. de fideicom. pluries; Attamen advertendam, quod id contineret æquivocum clarum, ob dictæ regule incongruam applicationem; Proccederet enim quando ageretur de multiplicando onus hæredis, puta quia testator certam summam invariabilem distributive singulis filiabus alicujus fecisset, eum tunc hæredis, interesset, ad evitandam oneris multiplicationem, ut nascituræ non comprehenderentur; Atque tunc intraret regula restrictiva, quoties non urgeat ratio majoris dilectionis erga legatarios, quam erga hæredem; Secus autem ubi unicum est legatum, quod ex numero alterationem non recipit, ut in presenti, unde propterea nil interest hæredis, an major, vel minor sit filiarum numerus, & an omnes participent, necne, adeo ut sola questio sit inter personas de eodem genere, super modo praticipiandi inter se, tunc etenim non intrat dicta regula restrictiva, sed potius intrant dictæ aliz rationes uniformis provisionis totius generis, ita testatore assumente partes patris, qui omnibus filiis pariformiter diligit, ac providere debet, istaque mihi videbatur genuina veritas.

MVTINEN.
LEGATI
AD PETITIONEM
PROSPERI DE PRATIS

Responsum pro veritate.

De eadem materia, an legatum factum filijs alicujus,

alicujus, debeat solùm natis de tempore testamenti, seu mortis testatoris, vel etiam alijs, qui postea nati sunt; Et an factum filijs intuitu patris, ad istum pertinere dicatur, adeo ut de eo disponere possit, necne.

SVMMARIVM.

- 1 **F** Acti serie.
- 2 Dispositio facta a favore filiorum alicujus intelligitur de tunc natis.
- 3 Fallit ex conjecturis,
- 4 Affectio dari potest etiam infantibus.
- 5 Legatum factum filijs intuitu patris, ipsi patri factum dicitur.
- 6 Donatio contemplatione matrimonij, an acquiratur etiam filijs procreatis ex diverso matrimonio.
- 7 De argumento vocationis filiorum per nomen collectivum.
- 8 Quando filij nascuntur etiam ex diversa uxore procreati, veniant.
- 9 Ad quid referat conclusio, de qua num. 5.
- 10 Observantia est optima interpretis, etique deferendum est.
- 11 De differentia inter legatum purum, & conditionale.
- 12 Quare in eisdem articulis diversimodè judicetur.
- 13 Quare legatum pro dote factum filiabus alicujus censetur factum ipsi patri.
- 14 De eadem conclusione, de qua num. 5.
- 15 Et quando procedat.
- 16 De feudo concesso pro se, & filijs.
- 17 Quando donatio dicatur verè remuneratoria, & que merita attendantur.
- 18 Quomodo judicandum, seu procedendum sit in dicta conclusione, de qua num. 5. & in alijs, ne relictum filijs censetur relictum patri.

DISC. XVIII.

Leonora, instituta Ioanne, & Casare filijs primi matrimonij in semise, & Caspare filio secundi in alio semise; In codicillis ad quadriennium postea conditis, legavit filijs masculis Gasparis quædam bona, assignata ratione gratitudinis erga dictum Gasparem, ac recompensæ servitorum, quæ in longa infirmitate receperat, ac recipiebat; Cumque, tam de tempore codicillorum, quam mortis testatrix, Gaspar [ultra filias feminas] duos haberet masculos, Camillum scilicet, & Io. Baptistam; Ad plures autem annos postea suscepisset Robertum, deinde que moriens, huic ultimo solam legitimam reliquerit, hæredem autem scripserit Io. Baptistam [stante prædecessu Camilli], dictusque Io. Baptista moriens absque prole, hæredem instituerit Faustina sororem; Hinc proinde orta est controversia super dicti legati pertinentia, & an illud in toto, vel in parte spectaret ad Robertum, ex cujus parte pro veritate desuper consultus fui.

Respondi quod penderet resolutio à duobus punctis, de quibus disc. præcedenti; Primò nempe, an dictum legatum simpliciter factum filijs masculis Gasparis, conveniret omnibus etiã postea natis, vel

vel solum illis, qui tunc nati erant; Et secundò, quatenus etiam nascituris conveniret, an tanquam factum filijs intuitu, & contemplatione patris, huic acquisitum esset, adeò ut ipse de bonis legatis disponere potuerit, sive illa sub ejus hereditate, ac dispositione venirent.

Quatenus pertinet ad primum; Respondi oppositum ejus, quod dictum est *discur. preced.* quod in legatis, alijsque dispositionibus puris factis filijs alicujus, non veniunt illi, qui tam post tempus dispositionis, quam post illud mortis, neque nati neque concepti sunt, cum questio intret respectu eorum, qui erant solum concepti, non autem nati, sive una, vel altera qualitas non aderat de tempore dispositionis, verificatur tamen de tempore mortis disponens, sed utraque circumstantia cessante, regula est plana, ad *textum in l. si cognatis ff. de reb. dub. l. qui filius ff. de legat. 1. §. cum ita §. in fideicommissis ff. de leg. 2. l. inter venit ff. de legat. prastand.* & firmiter communitur Scribentes plene de more relati per *Fusar. de substit. quest. 318. nu. 1. cum seqq. prasterrim vers. ultimo in specie.*

Et quamvis ista regula [juxta generalem naturam omnium aliarum, quas habemus in hac materia ultimarum voluntatum] limitationem recipiat, ex diversa quamvis prastumpta, seu conjecturata testatoris voluntate, ob quam etiam nascituris congruere valeat ex relatis per *eundem Fusar. dicta quest. 318. num. 28.* & firmatur *discur. precedentis*; Attamen in hac facti specie non videbatur, quod adessent conjecturæ, & circumstantiæ tales, quæ hanc voluntatem suaderent, sed potius in oppositum urgebat, quod cum testatrix viveret in domo dicti Gasparis, ibique senex, & infirma per plures annos stetit, ita concipere potuit affectionem erga eos pueros jam natos, qui etiam infantes, atque in fascijs existentes, affectionem captare solent, adeò ut non desint DD. dicentes, ut in eis verificabilis sit assertio meritorum, ob quorum causam donatio, vel alia dispositio fieri dicatur, ex ijs, quæ habentur *sub tit. de alienation. & contraciibus discur. 45.*

Ponderabam duo in contrarium; Primum nempe, quod si testatrix ex affectione personali mota esset, dictos Camillum & Io. Baptistam jam natos, proprijs & appellativis nominibus expressisset, non autem per nomen collectivum, ac generale filiorum masculorum; Et secundò fortius, quod legatum habebat causam expressam meritorum, & beneficiorum Gasparis patris, non autem ipsorum filiorum; Et consequenter intraret conclusio, de qua *eodem discur. precedentis*, ut legata, vel dispositiones factæ ad favorem filiorum intuitu, & contemplatione patris, huic potius acquirantur, à quo filij agnoscere dicantur tanquam per speciem peculij profectivi, ideoque omnium filiorum æqualis esse deberet conditio.

Ad instar eorum, quæ habentur *sub tit. de donat. disc. 10.* in questione, an bona donata contemplatione matrimonij, acquirantur etiam filijs procreatis ex alijs matrimonijs, quàm ex illo cujus contemplatione facta est, quoniam, ubi non constat, quod filij ex eo matrimonio nascituri principaliter contemplati sint, adeò ut veniant tanquam filij regula est, ut omnes pariformiter succedant.

Verum hujusmodi considerationes non videbantur ad id sufficientes, quoniam prima est nimium vaga, & levis, quoniam stante existentia plurium ejusdem Gasparis filiarum jam procreatarum, testatrix ita filios masculos, quos honorare voluit

sub nomine collectivo tanquam perfectum appellativi, expressit, cum solo adjectivo sexus, & consequenter non suberat necessitas specificandi singulos per nomen appellativum.

Alicujus majoris ponderis videbatur altera consideratio, quod legatum principaliter factum esse intuitu, & contemplatione patris, potius quàm ipsorum filiorum, & consequenter, ut omnibus filijs pariformiter congruere deberet, cuius, quæ in specie filiorum procreatorum ex diversis dispositionibus, habentur apud *Sard. conf. 72. Regem de fideic. art. 22. num. 19. Fusar. dicta quest. 318. num. 1. cum alijs disc. preced.*

Advertebam tamen, quod id nimium considerabile esset, quando pater ab intestato obiisset, & omnes filios tam procreatos de tempore legitime postea æqualiter instituisse, adeò ut quodammodo patrem, omnino eadem, & æqualis esset conditio, & cum quo prastupposito proceditur *d. disc. sub tit. de donat.*; Secus autem, dum solum ex procreatis fuerant, & quibus regula assistit, quoniam fores esse voluit, quoniam tunc quomodoque dicatur, idem resultat effectus; Intra enim dilemma; Aut legatum factum est ipsius filij, quibus directè ex testatoris judicio acquiritur tanquam peculium adventivum, & tunc non intrat consideratio, seu argumentum; Aut factum est in favorem ipsius patris, & tunc in ista facti specie idem effectus resultabat, dum ille filius postea procreatus, non erat patris hæres, & successor universalis, unde propterea solus effectus procreatus videbatur ille, quod bona in hujusmodi legato contenta, computanda venirent in esse paterno pro impingunda legitima, in qua ipse solum institutus erat.

Magnum quoque argumentum contra istam postea procreatum desumebam ex subsequente observantia, quæ [ut in omni serè materia advenitur tanquam nimium frequens, & recepta propositio], dicitur quarumcumque ambiguarum dispositionum, ac voluntatum optima interpretatio, adeò ut verborum proprietati quoque prastaret, dum solus Io. Baptista procreatus de tempore legati, donec vixit, illud obtinuit præcipuum, alijsque eo quod aliquam habuisset participationem alter postea natus, qui contra fratris postea defuncti mentem hanc præntensionem excitavit.

Neque præmissis obitare videntur ea, quæ favore filiorum postea natorum habentur *disc. sub tit. precedentis*, ob longè diversam rationem, directèque facti circumstantias; In eo etenim casu agitur de dispositione conditionali, pro subsidio legitime dotali illarum puellarum, quas matrimonium veniale, vel spirituale contracturas esse casus dicitur, quod incertum erat, in quibus verificabile esse necnè; In præsentem autem agitur de legato pro recipientem perfectionem, tumque effectum habente illico post mortem testatoris in illis, qui tunc existunt, atque sunt habiles ad illud assequendum, & consequenter isto effectu in jam natis contentum, intrat regula, de qua pluries *sub tit. de substit. alibi*, ut postea nati, quamvis aliquam majorem qualitatem habentes, non avocent jus alteri quodatum; Ideoque magna differentia est inter istum casum, & illum, de quo *d. disc. precedentis*.

Hinc propterea resultat, quod in eodem articulo variè judicare oportet, quamvis ignarum virgus id percipere non valeat, ideoque de facti legitimalizetur, ut præsertim contingit in ijs, qui aliquam partem

sub

De LU
ne
Testamen
et
GVI
9

peritiam habentes politioris litteraturae de omnibus iudicare volunt, atque de legum professoribus, ex ista praesertim ratione obloquuntur, ex ignorantia tamen, non advertendo, quod lex non est in omnibus casibus uniformis.

Alia item valde notabili circumstantia, seu differentiae ratione accidentis, quod in casu, de quo *disc. praecedenti*, testator, legando filiabus alicujus, expressit causam, quae respectu patris, cujus intuitu, & contemplatione legatum factum fuit, necessaria erat, adeo ut, stante conclusione, de qua *sub tit. de dote disc. 1. & 2. 2.*, ut pater filiam quamvis divitem, ac aliunde provisam dotare teneatur, ita recte intrat verisimilis testatoris voluntas, ut ad patrem sublevandum ab hoc onere, facere voluerit legatum directum ad filias pro restrictione usus, in quem pater illud erogare deberet, ne alijs usibus applicaret, atque ob alias ponderationes, de quibus in hoc legato dotum facto filiabus alicujus, habetur *dicto tit. de dote disc. 2. & 154.* istae autem considerationes non intrant in legato puro, & simplici facto filijs masculis.

Hinc opus non erat agere de aletero puncto, an scilicet ita istud legatum intuitu patris factum esset, ut illi acquisitum fuisset, adeo ut filij ex paterna substantia illud obtinere dicerentur, dum ut supra effectus erat idem, praeterquam respectu alicujus impinguationis legitima; Verum, ubi de hoc agendum esset; Adhuc verius mihi videri respondit, ut legatum ipsi filijs directe dispositionis causa, quamvis eorum pater fuisset dispositionis causa motiva, seu impulsiva, juxta ea, quae in similibus terminis donationis factae patri, & filijs, habentur in sua materia *sub tit. de donat. disc. 1. cum pluribus seq.*; At etiam, quoniam ubi agitur de legato puro facto ex liberalitate, & benevolentia, atque non intrat ratio superius ponderata, quae adaptabilis est legato dotis, vel subsidij dotalis, id incongruum videretur, quoniam testator ita potius ipsi patri directe legatum fecisset, neque urgere videtur congruatio faciendi hunc circulum aptum producere licet inter patrem, & filios.

Quare conclusio superius insinuata, & de qua *disc. praecedenti* in suis casibus vera, recipienda videtur in duobus casibus, vel in alijs similibus, quibus ex facti qualitate eadem congruant rationes; Primum scilicet, ubi legatum expressam habeat eam causam, quae in patre erga filios aliis necessaria esset, puta, filius pro dote, & filijs masculis pro expensis studij, ac doctoratus, aut pro sacris ordinibus suscipiendis cum similibus.

Et secundò, ubi dispositio intuitu patris principaliter facta sit, non ex liberalitate, vel ex simplici obligatione antidotali ad limites justitiae distributivae, sed ex causa onerosa, & correlative, ad limites justitiae commutativae; juxta ea, quae habentur *sub tit. de feud. disc. 75.* in quaestione per Feudistas disputata, an feudum concessum patri, & filijs, vel filijs tantum intuitu, & contemplatione patris, ipsi filijs directe acquiratur, eisque concessio censeatur, vel potius patri, ex ibi deductis.

Applicando autem ad rem; Videbatur esse in prima parte distinctionis potius quam in secunda, quoniam merita Gasparis filij per testatricem expressa, non erant talia, ut producerent actionem ad premium, ac remunerationem ex obligatione, seu ratione justitiae commutativae, sed solam quandam obligationem antidotalem, quae actum justificareret, illumque rationabilem redderet, beneque ordinatum ex regulis justitiae distributivae, ad effe-

ctum tollendi aliquas prohibitiones, vel dispositiones juris positivi in actibus mere literatis, & gratuitis, juxta distinctionem, de qua in proposito donationis verè remuneratoriae plures in sua materia *sub tit. de donat. ac etiam sub tit. de feud. disc. 94.*; Siquidem, si Gaspar testatrix filius, legatariorum pater, matri seni, ac infirmæ diligenter obsequia, & servitia praestiterat, propriae obligationi filiali satisfecerat, ac etiam condignum, imò exuberans premium receperat; Tum in hereditatis quota sibi relicta, quam in bello ex matris benevolentia, & liberalitate obtinuit; Tum fortius ob gratificationem, quod cum unico esset secundi matrimonij filius, atque ab intestato solam tertiam partem obtinere debuisset, stante existentia duorum aliorum filiorum ex primo, ita obtinuit semissem per quamdam speciem successione in stirpes; Bene tamen ista causa meritorum patris narrata fuit à testatrice pro cohonestando istam codicillarem dispositionem factam favore filiorum hujus filij secundi matrimonij, ne alij filij ex primo conqueri possent, ac dicere, quod ita in eorum fraudem, ac supplantationem istud legatum factum esset, ideoque pater fuit quidem causa, ut filijs legatum fieret, sed motiva, seu impulsiva, non autem ut ipsi patri verè, & proprie ita legatum factum censeretur, ut filij ex paterna substantia potius obtinere dicerentur.

Hinc proinde dicto conclusio ut datum, & relictum filijs intuitu, & contemplatione patris, speciem peculij profectitij potius habeat, non ita simpliciter, ac indefinite capienda est, ut frequenter cum aequivoce manifesto id fieri practicavi ex consueto pragmaticorum errore attendendi juris conclusiones, vel doctrinas verbaliter, & ad litteram, sed pro facti qualitate, & substantia juxta unum ex duobus supra exemplificatis casibus, vel in alijs similibus, quibus eadem respectivè congruant rationes, quoniam in effectu est quaestio voluntatis, quae ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantijs, unam vel alteram voluntatem suadentibus, non autem ex regulis, vel doctrinis generalibus decidenda venit.

Et his stantibus, consului requirenti, ut cò meliori modo, quo posset se cum sorore concordaret, quoniam ego sentiebam difficultatem contra ipsum; Incertum tamen est, quid sequutum sit.

ROMANA

ANNATÆ

P R O

CAPITVLO S. MARIE MAIORIS

C P M

ALIQVIBVS CAPELLANIS.

Casus disputatus in Congregatione Visitationis Apostolicae sub incerto exitu.

An legatum annuum pro sustentatione capellanorum, sub ea lege, ut fructus primi anni erogati debeant in reparationem, ac utensilia cappellæ, intelligendum veniat, de primo anno fundationis capellanarum, vel